DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

VALETUDINA-
RIIS IMAGINARIIS,

Von

Menschen die aus Einbildung kranck werden,

QUAM

PROPITIO NUMINE DIVINO,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

ON. D. MICHAELE ALBERTI,

OTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

UMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS.

D. AUGUSTI MDCCXXI.

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBMITTET,

RESPONDENS

JOH. FRIDERICUS MOSSDORFF,

ALTENB. MISNIC. PHYSIC. ORDIN. LICHTENSTEIN.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.
RECUSA MDCCXXIII.

PROOEMIUM.

QUando *Socrates apud Platonem Alcibiad. I. p. 447.* curam & culturam animi commendat & inculcat, tunc à contrario perſuaſionem ſuam ſuſcipit & dicit: *quicunque corporis curam habet, ſua quidem, non ſe ipſum curat; at vero cui pecuniæ curæ ſunt, nec ſe, nec ſua, ſed quæ procul a ſuis ſunt, curat:* quare antiquiſſimi philoſophi animi ſtudium atque cultum præ aliis humanis occupationibus ſollicite inculcarunt, nam qui circa aliena & extranea verſantur & ſui ipſius cognitionem negligunt, illi maximum patiuntur diſpendium: hinc *Demoſthenes in oratione amatoria p. 162.* dixit: *omnium eſt abſurdiſſimum parandarum opum augendique roboris & rerum ſimilium ardere cupiditate, propterea aque multas ærumnas perpeti, quæ omnia mortalia ſunt, mentique ſervire conſueverunt: ut vero ipſa mens, quæ cætera gubernat, quæ nunquam deſerit, quæ totius vitæ dux & magiſtra eſt, excolatur, non elaborare:* animus enim qui præſidet corpo-

ri hoc dignitate antecedit, & quanta illius poteſtas atque energia ſit in corpore ſubſtrato innumera teſtantur documenta, quapropter & vanum & profanum eſſet, tantum aut utplurimum corporis contemplationi inſudare; hinc veritati omnino conſonum eſt dicterium *Saluſtii in Catilinaria c. 1. noſtra omnis vis in animo atque corpore ſita eſt, animi imperio, corporis ſervitio magis utimur, alterum nobis cum diis, alterum cum beluis commune eſt:* unde *Lactantius de ira Dei cap. 10.* eloquitur: *Animus qui ſapit, rector eſt corporis, cui membra obſequuntur, tanquam Regi & Imperatori:* ob id & Philoſopho & medico intereſt, quo animi vires obſervet, & ne ex hoc ullum præjudicium in vitam humanam ruat, omni ſolertia & dexteritate præoccupet: neque male *Plato in Cratilo* profitetur, *quod medici munus ſit corporis animique puritatem ſervare;* quod thema fuſius expoſuit *Reies Camp. Elyſ. qv. 2. §. 12. ſeqq.* quanta enim commoda ex animo corporis œconomiæ ſuperveniant, docet quotidianus uſus: quare homines animo compoſiti, quieti, tranquilli, moderati utplurimum optima gaudent integritate & ſanitate: neque à veritate abludit quod *Plutarchius in Conviv. ſeptem ſapientum* dixit: ψυχῆς ὄργανον τὸ σῶμα, θεὸς δὲ ἡ ψυχή: *Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter III. Pædagog. c. 11.* dicit: *animam mortali corpori impoſuit Deus, tanquam aurigam plauſtro, traditisque aurigæ in manum habenis, curſu ſuo ferri permiſit: vim illi præterea roborque addidit, ut vel arte ſua uti poſſet, ſi vellet, vel abuti ſi mallet:* non minus vero etiam veritati conſentaneum eſt illud *Luciani* verbum *Dial. de non temere credend. calumn. in rebus humanis nihil tam fauſtè feliciterque agitur, quod non error*

aliquis

aliquis interpolet: quare non modo animus corpore ſuo rite ac convenienter utitur, illiusque utilitati ac ſalubritati proſpicit, ſed etiam ſæpiſſime corpore ſuo abutitur variaque damna eidem inducit, ut merito huc quadret, quod Salvator dixit *Matth. 10. v. 36. inimici homines erunt, qui ſunt domeſtici ipſius:* quid itaque animi pathemata valeant in œconomia vitali haud neceſſe erit latius commemorare, cum cujusvis obſervatio hanc quæſtionem illuſtrare poterit: nos cum *Cicerone V. Tuſcul. c. 6.* profitemur, *beati quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant:* Neque quidem neceſſe eſſe exiſtimamus è tam craſſis animi motibus tantas ſanitatis mutationes & offenſiones adducere, cum paulo firmioris imaginationis tam eximia vis ſit, ut ferme quilibet medici peculiares hujus thematis illuſtrationes & explicationes producere ſciant: hinc facile eluceſcit quanta ſit cauſarum morbificarum congeries, ſiquidem ipſe animus ad diverſorum morborum incitamentum & accrementum diſponit & hæc ſpecies Luis omnibus hominibus communis eſt: id ipſum tanto magis prudentem hominem angit, quod tantorum malorum fabrum & protectorem gerat, inde providi redduntur, quotquot ſaluti ſuæ proſpiciunt, ne viciſſim faſtui animi ſui & animoſitati ſuæ nimium confidant; ſicut itaque animus variorum morborum author & fautor eſt, ita viciſſim morbi animos corrigere & emendare adjuvant: ita *Plutarchus in Apopht.* de Antigono Macedonum Rege recenſet, quod, cum aliquando gravi morbo decumberet, non tam de hoc ſollicitus fuerit, quin rectius Deo gratum animum obtulerit, quod

in hac afflictione ſapere & ſuperbiam ſuam coercere didicerit: *haud male*, dicebat *actum eſt nobiscum, commonuit enim morbus nos, ne ſpiritus, cum mortales ſimus, ſuſtollamus.* id etiam teſtatur *Natalis Comes lib. 5. Hiſt. nullus eſt potentior aut efficacior ad informandos animos, ad prudentiam, calliditatemque Magiſter, quam neceſſitas omnium rerum humanarum regina:* ex hiſce omnibus facile patet quantum utilitatis promittat ſincera cura & cultura animi, ad cognoſcendos, præoccupandos & curandos morbos animæ & corporis: ſed quis, vel uno oculo in hunc effuſum campum introſpiciens, levi penicillo depingat tantam ſupellectilem phænomenorum & objectorum: animus enim ex parte faber eſt vitæ & mortis, ſanitatis & morborum; in qua Scena tot effectuum monſtra egrediuntur, ut admiratione dignum quis reputare poſſit ilud judicium, ſi talia animo adſcribere nonnullus vix erubeſceret: Audaces forte, neque quidem immerito declarandi eſſemus, ſi tam vaſtam conſiderationem in ambitum exiguarum pagellarum comprehendere ſuſciperemus: unde hujus thematis vel unicum tantum ſurculum apprehendere & explicare lubet: & cum tanta vis ſit imaginationis in ſingulis actionibus humanis, ita etiam hujus conſiderationis tantum ſpecialiſſimam tractationem ſeligere placuit, dum videlicet Inaugurali quodam ſpecimine nobis incumbit, quo ſelectam quandam tractationem medicam proponamus & exponamus: Agemus itaque DE VALETUDINARIIS IMAGINARIIS ſive de Hominibus ex Imaginatione ægrotantibus: quæ animadverſio, quantum ſperamus uſui & veritati Medicinæ non parum lucis affunder: aſt quo propoſi-

positum nostrum ad vota succedat, divinam benignitatem precamur, quo nobis luce & duce Spiritus Sancti efficacissime adsistat.

§. I.

QUando ad *Imaginationem* ægrotantes sive *Valetudinarios Imaginarios* indicare & explicare cogitamus, necesse esse ante omnia judicamus, quo verum & *perspicuum sensum* hujus thematis exponamus, ne videlicet præsens tractatio *ultra propositum* nostrum & suam sphæram extendatur; sunt itaque nobis *valetudinarii imaginarii*, homines admodum *sensibiles*, ex *firma* atque tenaci *impressionis*, cogitationis & *imaginationis* vi, in nonnullas *ægrotationis* species incidentes, alias etiam *exasperantes* & deteriorantes, vel quarundam etiam *sinistrum eventum* inducentes atque promoventes, citra tamen *primariam* causæ *materialis* morbificæ culpam: unde *specialissima* quædam *imaginationis efficacia* hoc themate explicanda erit, quemadmodum alias *vis imaginationis amplifica* & diffusa est: quare ejusmodi *intimam*, intricatam & potentem causam *morbificam* dignam esse censemus, quo *speciali* studio pertractetur, quoniam homines ex imaginatione ægrotantes, Menschen die vor, aus und in der Einbildung krank sind, medico multum *curæ, laboris, sollicitudinis & difficultatis* facessunt, dum *imaginationis emendatio* ægrius succedit; contra vero si hæc *radix* non attenditur & tantum ab artifice *materiales* morbosæ qualitates profligantur, tunc *hujus indolis* atque tenoris morbi facilius *corrumpuntur*, quam corriguntur: utut vero ejusmodi phænomena morbosæ afflictionis ex *imaginatione* ortæ non incognita, sed multis modis observata & quia *crassis signis* sese produnt, annotata sunt, tamen *nexus causæ* cum *effectu*, & conveniens *medendi methodus* non ubivis occurrit, quæ animadversiones nos permoverunt, quo ad præsentem tractationem manum admoveamus, præcipue cum hæc consideratio

ratio ad *animæ nexum* & *commercium cum corpore* intelligendum non parum lucis affundat, ne tam craſſe & tenaciter in *phyſicis* tantum diſquiſitionibus hæreamus, & *ſui ipſius* notitiam negligamus: quare religioni duceremus, ſi tam ſonticam circumſtantiam *perfunctorie* tractemus, cum *factum* ipſum omnium oculos offendat & utplurimum magis in *admirationem* ducatur, quam pro dignitate exponatur: *diſcrepant* enim morbi ſecundum *diverſas operationes* mentis, ut nonnulli magis nitantur *memoria*, hinc generantur morbi *periodici*, *annui*, *menſtrui*, *habituales*; aliqui niti deprehendantur *judicio*, dum *una eademque* cauſa morbifica ſecundum *diverſitatem ſubjectorum* aliquando *diſcrepantibus methodis* & ſpecialiſſimis motibus tractetur, ut hoc loco valeat, *quot capita tot ſenſus*: inde evenit, ut v. g. *ſuppreſſiones* ſalutarium evacuationum, in diverſis *individuis* diverſos *ſucceſſus* & conſecutiones ſortiantur: licet proinde *non ita penitus* in hac diſquiſitione *differentiam corporum* excludamus: primaria tamen ratione *diſcrepantia motuum & methodorum* tam *diverſo judicio* nititur, proinde etiam dantur morbi cum diverſo *voluntatis* gradu cohærentes, inde ex parte pendent *morbi vagi*, *refractarii*, *tenaces*, *immorigeri fixi*, qui ſecundum *diverſitatem morum perſonalium* variare ſolent: ita denique merito perpendendi erunt morbi *ex imaginatione* nati, educati & confirmati, quale ſpecimen energiæ imaginationis ad producendos morbos præſens noſtra tractatio, brevi licet, attamen *fundamentali* delineatione promittit.

§. II.

Sed dum circa imaginarios valetudinarios occupati ſumus, præſtiterit omnino mox in limine illa *removere*, quæ ad propoſitum noſtrum non ſpectant: haud enim nobis animus eſt, quoad *ſingula momenta* exponere *vim imaginationis in alterando* corpore humano, quæ tractatio in multa membra dividi poſſet, ſiquidem vis imaginationis *in gravidis* tam eximiis tamque ſpecioſis & copioſis ſpeciminibus ſemper inclaruit, ut ab eruditis viris hoc thema peculiari ſtudio elaboratum & com-

commendatum profitet, quod tamen hoc loco evolvere non placet: neque etiam propositum nostrum est *vim corruptæ*, aberrantis & *confusæ* imaginationis in *alteranda* œconomia vitali in genere proponere & explicare, sicuti *in melancholicis* perinde multiplicia talia phænomena obtingere solent; neque etiam *efficaciam* imaginationis *sub somno* & *insomniis* procedentis in *alteranda sanitate* recensere aut peculiari studio enucleare lubet; utpote quæ *diversæ* considerationes *speciali* & singulari commendatione & explicatione indigerent, quemadmodum de posteriori abunde constat, quid *insomnia* valeant ad *causandos* & *exacerbandos* morbos, imo ad *accelerandam* plane & promovendam *mortem:* magnum enim est imaginationis *dominium* in omnes facultates, id quod fusius exposuit *Marcellus Donatus Lib. 2. c. 1.* quare hoc loco tantum e spissa & *diffusa* hac tractatione *specialissimam* observationem selegimus, quomodo videlicet homines de *sanitate anxie solliciti*, morbos valde *metuentes*, de illorum *invasione* frequenter & tenaciter *cogitantes*, præsentium *minorum* afflictionum *exacerbationes* nimis firma *attentione* & *intentione* expectantes & expaveſcentes, ex *levissimo* signo morboso *pessimas* admodumque periculosas consecutiones sibi *persuadentes* & continuo talium alterationum *memores*, integra cœteroquin ratione prædiți, ob hanc *intimam* persuasionem & firmam imaginationem semper cum *adversa* & *infirma* valetudine conflictantur & ita nullo die sine animi & corporis afflictione esse observantur, talis observatio in praxi medica *minime infrequens* existit, sed in multis subjectis atque casibus satis luculenta est, adeoque a prudenti artifice bene explorari & rite applicari debet, siquidem in ejusmodi casibus medicis ut plurimum magno cum emolumento *Therapia moralis*, quam peculiari *Disputatione D. D. Præses* exposuit & commendavit, adhiberi potest, quoniam tale *morale* morborum *incitamentum*, *morali* etiam *medicamento* subjugari & expugnari debet: exinde etiam medici *providi* redduntur, ne talia subjecta cum *austera* morborum *prædictione*, aut periculosorum successuum &

eventuum præsagio in *actuales* morbos conjiciant, aut illorum mortem *accelerent*, uti enim *Histrionis est*, dicente *Celso Lib. 5. c. 26. parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur*, ita vicissim in praxi medica haud incognitum est experimentum, quot & quanta damna ex ejusmodi errore provenerint: inde illa dicteria, man hätte einen kranck geredt, oder der Patient sey vor Schrecken gestorben, weil ihn der Medicus das Leben abgesprochen habe; interim interdum divina clementia *siniſtras* tales prædictiones avertit & nonnullorum ægrotantium animum obfirmat, cujusmodi lectu dignam historiam proponit *Francisc. Bosellus, amalth. med. polit. appar. 3. c. 24.* "ubi Medi-"cus Judæus Divo Basilio Magno, periculoso morbo decum-"benti, certo quodam die mortem futuram indicaverat: cui "divino quodam lumine erectus Basilius, regesserat, quid si "contrarium fieret! ad quod Judæus respondit, se tunc chri-"stianum futurum, Basilius de salute Judæi sollicitus, per cali-"das preces a Deo voti sui compos redditus, morbum supe-"ravit mane salvus surrexit & Judæum postea baptizavit:„ huc pertinet quod *Celsus Lib. 2. c. 6.* dixit, *interdum desperati a medicis convalescunt, & plures sanantur de quibus medicus desperat, & contra moritur aliquis, de quo medicus securus primo fuit:* hinc *Trincavellus Libr. 3. Cons. 62.* professus est, *quod de nullius salute desperandum sit;* vicissim vero etiam contingit, ut medici, quorum verba sæpe patientes tanquam oraculum excipiunt & venerantur, cum *minus accepta* confabulatione *sensibiles* ægrotantes in morborum *exasperationes* conjicere valeant: quare in *prædicendis*, & *dijudicandis* morbis prudentia opus est; id quod fusius exposuit *B. Bohnius de offic. med. dupl. Part. I. c. 8.*

§. III.

Quantam *potestatem* habeat *imaginatio* hominis multi hactenus indagare & explicare conati sunt, e quibus etiam varii *plus* eidem tribuerunt, quam quidem *veritati* consonum esse deprehenditur, in quo errore non parum hærere videtur *Paracelsus* qui *Lib. I. de Pestil. c. 3. imaginationem principem omnium*

um operum magicorum nominat: ita ipse tales phantasias proponit *l. c. cap. 4.* ubi dicit: Wann eine Kindbetterin (grassante peste) in Angst des Kindes zu gebähren stirbt, so ist wohl zu gedencken, was alda vor eine imagination zufält: Denn also gedencket die Frau, weil ich und mein Kind oder die Frucht so elendiglich sterben muß, so wolte, daß alle Menschen mit stürben: da folget alsdann auch ein Platz-Regen. Das ist ein doppelter Gifft dieser Kranckheit; *conf. lib. 2. & de virtute imaginativa:* Wann ein furchtsamer verzagter Mensch voller *imaginatione* den Mond anschaue, so siehet er in das speculum venenosum magnum naturæ, und wird der sideriſche Geist und Magnet hominis also vergifftet, durch die Stern und Mond: *conf. Garmannus de Mirac. Mortuorum Lib. 2. tit. 7. p. 616.* eandem sententiam cum Paracelso, quoad excessivam imaginationis accusationem habet *Helmontius in Magnet. vuln. curat. §. 30. tract. de inject. mater. §. 15. potest. medicam. §. 46. plur. conf. A. N. C. Dec. 3. an. 9. & 10. in App. p. 185. 186.* præterea *Avicenna* dicit *Lib. de animal. Sect. 4. c. 4.* quod *imaginatio aliena alterare & movere possit:* sed subinde & ipse in *abusiva* imaginatione & persvasione de imaginationis viribus hæsit, sicut de *Casparo Rejes camp. Elys. jucund. qu. 15. no. 21. Garmannus* l. c. de *Avicenna* allegat, quod hic crediderit quasi, *imaginationis viribus alius homo equo insidens, quamvis distans, dejici possit & in terram præcipitari, quod tempestates moveri & terræ motus, in nubibus similes bombardarum strepitus tonitruis & fulminibus excitari possint.* Ast cum tales imaginationis deprædicationes *exorbitent* & ultra sphæram suam transcendant, atque in nuda *suppositione*, *superstitione* & otiosa accusatione consistant, ita parum emolumenti afferret, diu ejusmodi speculationi inhærere velle: hinc consultius erit illa phænomena prosequi, quæ sine ulla *suppositione*, *credulitate* & *superstitione* proximius de imaginatione prædicari illiusque viribus adscribi possunt: quemadmodum viri eruditi manifesta talia testimonia de ejusmodi *efficacia imaginationis* in *alterandam* œconomiam vitæ sparsim protulerunt, quo loco tanquam præli minari quodam prægustu recensere lubet illam histori-

am, quæ passim quidem cognita, & si vera est, singulare testimonium perhibet, de potestate imaginationis *in vitam animalem;* hanc refert *Manlius in loc. com. sub. 5. præcepto* de *Morione, qui propter excessum comissum* (commemorante *Rejesio*, qui eandem historiam proponit *qv. 11.*) *ad confictum supplicium productus fuit, quasi capitis pœna plectendus foret: adest lictor, gladium quidem stringens, ut illi terrorem incuteret, bacillo vero morionis cervicem leviter tantum percutiens, miserum hominem exanimatum, non sine adstantium stupore concidere fecit:* similem historiam modo dictus *Rejesius p. 134.* ex *Eusebio Nierembergio* recenset: quibus testimoniis id tantum indicare volumus, quomodo *firma* imaginatio ad *extremum* usque corpus *alterare* valeat.

§. IV.

Eximiam huic præsenti nostræ disquisitioni lucem affundit Disputatio *Illustris Stahlii de Teneris ægris*, quam hoc loco mox commendamus; quare in ordine nostræ tractationis nonnullas circumstantias ex *Historia Valetudinariorum Imaginariorum* enarrare placet, quo ordine justo procedamus & quo firmius reliquæ animadversiones hisce præmissis cumstantiis niti queant: quod itaque talia *subjecta* attinet, quæ ex *imaginatione ægrotationibus* subjiciuntur, ille non tam corpore, quam *animo* sunt *tenera, mollia, mobilia, sensibilia, delicata*: sicut alias etiam in *robusto* & *crasso* corpore *animus* perquam *sensibilis* esse potest: interim non negandum est, quod satis sæpe ejusmodi subjecta uti *animo*, ita etiam *corpore tenera* existant; hæc *sensibilitas* vero velut *universalis* est in talibus subjectis, dum in *ordinariis moralibus* functionibus admodum agilia & *præcipitis* indolis existunt & facile atque subito in objectis obtingentibus aliquid *adversi* percipiunt, indeque in *animo* si non semper *crasso* & aperto, tamen *clandestino* affectu *inquieta* sunt: maxime quidem talia subjecta in *imaginationis operatione* perquam *activa* & occupata esse deprehenduntur; quæ tanto magis in insolitis, *extraordinariis* & meticulosis atque *adversis* casibus cum hoc *imaginationis* negotio valde operosa

rosa existunt: subinde etiam illa subjecta admodum *proclivia* sunt ad *patheticas* commotiones, præcipue vero ad *terrorem*, *timorem*, *metum*, nec non ad *præcipitem iracundiam*, ut & ad *anxietatem*, *curam sollicitudinem*, *fastidium*, *aversionem* &c. cum quibus affectibus multa *impatientia* & inquietudo conjuncta est: quare dicuntur empfindliche, eigensinnige, weichliche Leute: maxime vero ejusmodi homines de *vita* & *sanitate* sua *solliciti* esse observantur, sive *diu vivere* cupiant & vitam perquam diligant, sive *horridos morbos* anxie exhorrescant: hinc cum *imaginatione* sua plurima adversa objecta ad statum *vitæ* & *sanitatis* suæ *comparare* solent: deinde etiam talium hominum *sensibilitas* sese propius ad *illum statum* extendit, qui *œconomiam corporis* concernit, quando in hac frequentioribus & facilioribus *alterationibus* expositi sunt, ut propterea illarum *sæpe memores* facti, semper *animo anxii* & *solliciti* existant; quare vel levis & *transitoria* quædam *afflictio* ipsos valde offendit atque perturbat, ut toto & tenaci animo in eandem *defixi* sint, aliique propterea habeant atque inveniant quo tales persuasiones & imaginationes ex illorum mente eripiant: & quo magis tales homines *soli* relinquuntur, uti facile *solitudinem amant*, eidemque adsuescunt, eo magis in tali *imaginationis operosa* exercitatione & *intenta* atque *attenta* administratione confirmantur: ob hanc eximiam *agilitatem* imaginationis facile excitantur, quando de *aliorum morbis* aut *morte* relationes audiunt, hinc *anxie metuunt*, ne in eandem morbi gravitatem aut mortem incidant, adeoque per plures dies hac angustia detinentur, dum constanter *aliorum pericula* ad *suum corpus* referunt: & cum in tali animi conditione *fœminæ* præcipue præcellere observentur, ita in illis frequentius obtingit, ut vel ex imaginatione *ægrotent*, vel ægrotationes suas per imaginationem *exacerbent*: inde innotuerunt loquendi formulæ: sie haben immer etwas zu klagen; heute fehlt ihnen diß, morgen etwas anders.

§. V.

Præter has circumstantias adhuc variæ aliæ contempla-

tioni noſtræ ſeſe ſubjiciunt: & quemadmodum ejusmodi homines toto animo *de morbis ſolliciti* ſunt, ita quidem evenit, ut *morboſa* aliqua afflictione laborent, tamen illa cum ejusmodi *firma* recordatione vel *revocatur*, quando aliquandiu *ceſſavit*, vel augetur & *deterioratur;* hinc contingit, ut diverſæ tales *morbidæ diſpoſitiones* & ſenſationes eximie *leniantur*, quando tales valetudinarii ad compellationes & *conſortia cum amicis* ducuntur, quando ab amicis viſitantur & ad *gratum colloquium* invitantur, quando illorum *attentio ad alia grata* objecta trahitur, quando animus cum rebus *ſeriis* & *acceptis* occupatur: inde fluit certitudo aſſerti, quod varii homines ſine medicamentis, cum *verbis*, *cantibus*, *muſica*, *carminibus* & *jucundis relationibus* curati fuerint: quare *Pythagoras*, *Empedocles*, *Plato*, *Apollonius*, *Thyaneus* teſte *Platone Lib. 4. de republ.* huic artificio curandi morbos cum multo ſtudio intenti erant: *conf. Plinius Hiſt. Nat. Lib. 28. c. 2.* ita nobis conſtat exemplum de patiente, qui ſub graviſſima diarrhœa ad Baptiſma ad compatrem invitatus fuerat, inde contigit, ut præ gaudio diarrhœa penitus ceſſaverit: huc ſpectat cura illa *imaginaria* plebeja *ſingultus* & diverſarum aliarum moleſtiarum: quid quod veteres referunt, quod *per carmina* vulnera curaverint, uti *Apulejus in odyſſ. Homeri lib. XIX. 455.* commentatur: *veteres medici etiam carmina remedia vulnerum norant, ut omnis vetuſtatis certiſſimus author Homerus docet*, &c. *conf. Trallianus Lib. 4. c. 9.* vix vero propoſitum atque tempus permittunt, quo hujus rei multa teſtimonia colligamus: præterea de ejusmodi hominibus notandum eſt, quod propter prædictam ſuam *ſenſibilitatem* diverſis *conſuetudinibus* in *morabilibus* & *vitalibus* negotiis præditi ſint, quæ ad *morboſas* quasdam afflictiones *invitandas* non parum contribuunt, adeo ut varia in ipſis *irritamenta* occurſent, ob quæ *inquietam* ſuam *imaginationem* operoſe & aſſidue exercere queunt: omnium maxime quidem ejusmodi ſenſibiles homines de qualibet *leviſſima* circumſtantia *peſſima* ſibi præſagiunt, perſuadent, & ominantur & ita prompti ſunt cum relatione & *concilia-*

ciliatione aliorum morborum, qui ex *levissima* causa nati, *funestum* tamen eventum sortiti sunt: obid animo semper sunt *solliciti & meticulosi*, adeo ut si mus pusillus alicubi strepitum excitet, mox opinentur, quasi mors ante fores pulset, & quasi hic strepitus sit præsagium morbi aut mortis: de quibus interdum illud valet quod *Levit. 26. v. 36.* dicitur: *ut persequente eos strepitu folii agitati fugiant fuga* &c. daß sie soll ein rauschend Blat jagen: accedit & hoc quod iidem valetudinarii imaginarii circa *rerum non naturalium* usum valde *solliciti & scrupulosi* sint, ut vel *levem* aëris injuriam fugiant, & de *omni* ciborum genere scrupulum moveant, an non *insalubris* sit & morbum causetur, indeque *magis magisque* in sua mollitie & *sensibilitate confirmantur*, adeoque quotiescunque morbi alicujus *reminiscuxtur*, toties *novas* se pati calamitates firmiter sibi persuadent: & quamvis nonnulli tales valetudinarii præparati sint ad beatam mortem, & cum apostolo solvi cupiant, tamen in eo *aliquid humani* patiuntur, quod *morbosa* alteratio ipsos offendat & corporis *infirmitas tenaciori* cogitatione, recordatione & *imaginatione* circumvolvatur.

§. VI.

Valetudinarii imaginarii utplurimum non de una morbosa afflictione, sed de *numerosis* conqueruntur, ita ut non modo *indies* velut ægrotare videantur, sed subinde de *multiplicata* quotidiana molestia querimonias suas effundant, & quod adhuc magis est, *indies de novo* aliquo incommodo queruli sunt; hinc *quotidie* de *consiliis* & *auxiliis* medicis *solliciti* sunt, quid quod *indies medicamenta* ingerunt, sed eo ipso adeo *infirmos* se reddunt, ut *continuo medicaminibus* uti necesse esse judicent, proinde sibi persuadent, ni *remediis constanter*, utantur, *adversam* valetudinem magis magisque increbescere: contra vero sibi imaginantur, quando *consueta remedia* assumserunt, *quasi* morbosus status quantisper *imminuatur*: indeque *tacite* in tota sua natura ita *corrumpuntur*, *seducuntur* & infirmantur, ut *radicata* & consummata denique talis *morbida* dispositio *nullis* amplius medicaminibus *cedat*:

dat: adſueſcunt itaque ejusmodi homines *medicamentis*, ut, niſi ordinariis medicamentis utantur, ſe ægrotare, aut *defectum* alicujus rei pati ſibi perſuadeant, hinc ex *imaginatione dolent*, & *ægrotant*, moxque confugiunt ad pilulas, pulveres Tincturas &c. poſt quorum remediorum ingeſtionem a magna cura liberatos ſe eſſe, autumant: aſt quamvis ſæpe tales homines magis *in opinione* & *imaginatione* ægrotent, quam *in corpore*, tamen illa *moroſitas* a prudenti medico adeſſe debet, ne *omnem finem* talibus ſubjectis deneget, & quod *nunquam* corpore ægrotent, acriter renuat: inde enim eo magis *imaginatio* talium valetudinariorum *irritatur*, ut cum a medico *deſertos* ſe eſſe profiteantur & conſpiciant, *eo magis* omnibus viribus corporis ſui ſtatui *attenti* ſint, quo talia *crinomena* inquirant, quibuscum *dubium*, *moroſum* & *obloquentem* medicum convincere poſſint: hinc utplurimum ejusmodi valetudinarii *aliquid morboſi* patiuntur, quod tamen haud *in tanto gradu* poſitum eſt, velut illi homines exiſtimant: interea hæc *anxia* & *ſollicita meditatio* atque cogitatio de morbo non modo *præſentem* afflictionem *auget*, ſed & *nova pathemata* convocat, ut quamprimum mane ſurgunt, & *prægreſſi* diei afflictionem aut genericam morbidam diſpoſitionem *in memoriam* revocant, mox *triſtem* ſuum threnum occinant: non raro etiam hi valetudinarii imaginarii multum *inſomniis* nituntur & ex iisdem utplurimum *ſiniſtra omina* colligunt: multum enim *mollis* imaginatio ad *ſuperſtitionem* inclinat: quod ſi porro *ordinariæ* functiones vel *leviter declinaverint*. mox *pericula* metuunt: proinde etiam de *minutiſſimis* vivacitatis ſuæ mutationibus admodum anxii, *ſuſpicaces* & ſolliciti ſunt: neque multum laboris faceſſit, quin alius cui indoles talium valetudinariorum conſtat, facile hiſce *perſuadere* poſſit, quod ægrotent; Daß man ſie kranck reden kan: inde exempla hominum in praxi medica occurrunt; qui, ſi interrogantur, an forte male ſe habeant, confeſtim annuunt, & lectum petunt, aut domeſticos ſuos invehunt, quod vel non indicent, vel non judicent, vel non credant, quam ægre

ſe

se habeant, inde evenire, ut peregrini hanc adversam valetudinem agnoscere debeant: man suche nur einem seine Kranckheit zu verhelen, und mache einen so sicher, da man es doch wohl wisse: nonnulli talium valetudinariorum *taciturni* sunt, interea vero *eo magis* morbosis suis sensationibus *intenti*, inde contingit, ut, quod magis de iisdem *cogitant*, eo magis cædem *increbescant*: ita quosdam vel *levis tinnitus aurium* in subitaneum *terrorem* & metum de immminente *apoplexia* conjicit: alios *levis contabescentia* de *hectica* & *phthisi* sollicitos reddit; nonnullos *insolita horripilatio* aut *incalescentia* in *febris* vel malignæ vel alterius metum ducit: aliquibus *levis exscreatio* sanguinis de *phthisi* mœrorem & anxietatem incutit: quosdam *turgidula* corporis *intumescentia* admodum exigua in metum *hydropis* trahit: & ita cum multis aliis phænomenis negotium succedit, ubi tantum *specimina* quædam imaginariorum valetudinariorum produximus.

§. VII.

Porro de valetudinariis imaginariis sciendum, quod *animales* functiones interdum satis *vegete* in ipsorum œconomia vitali procedant, id quod multos permovet, quo de illorum ægrotatione *dubitent*: etenim ejusmodi valetudinarii sufficienti *appetitu* gaudent, assumunt cibum copia convenienti, *bene concoquunt*, *bene dormiunt*, obambulant, attamen de *adversa* valetudine conqueruntur, hinc alii dicunt es sey nur eine affectirte, gezierte, eingebildete, oder eine Schul-Kranckheit, *veram* enim ægrotationem inferre inappetentiam & somni perturbationem: interea sæpe etiam evenit, ut ejusmodi veletudinarii sibi imaginentur magnum *virium dejectionem*, quare nonnulli ad surgendum & obambulandum provocati & protracti, trepidant, titubant, tremunt, eximiam *infirmitatem* simulant, adeoque mox quietem & lectum petunt, nisi cum vi admoniti lecto detineantur, ut ipsi deinde hujus *spuriæ* imbecillitatis *oblivisc antur*, & *majori activitate* cum aliis conversentur: ita constat *D. D. Præsidi* exemplum *hypochondriaci*, qui magnam ægrotationem simulabat & sibi persvade-

bat,

bat, quæ tamen ut plurimum *imaginaria* erat; hic plurimum temporis in lecto consumebat: ast cum aliquando nuptiæ filii sui appropinquassent, non modo ipse hominum consortium extreme adversabatur, sed ex imaginatione magis langvescebat, anxie sudabat, & lecto totus defixus erat; hujus propinqui vero atque domestici eundem omni studio ad nuptias invitabant, imo plane protrahebant, qui mox ægrotationis suæ oblivisebatur, atque contento animo inter reliquos amicos atque convivas versabatur, & ultimus ferme erat, qui nuptiarum solennia deserebat: hæc emendatio morbi per imaginationis *temperiem* continua erat per aliquot dies: transactis vero nuptiis cum hic hypochondriacus denuo solitudini & speculationi suæ indulgeret, iterum pristinam calamitatem expertus est, & ex imaginatione ægrotare continuavit. Est subinde hisce valetudinariis in more positum, ut *pulsum* suum attingant & *explorent*, quem si vel *paullulum alteratum* deprehendunt, mox toto *animo turbantur* & anguntur, & hinc morbi *exacerbationem* sibi imaginantur, ut ob talem angustiam porro *somnus* & *appetitus* turbetur, quæ perturbatio non contigisset, si talis homo *pulsum* suum non attigisset: porro si ejusmodi valetudinariis *vola manuum* vel nimis *calida* vel nimis *frigida* est, aut si leviter incaluit & refriguit, subito contremiscunt, aliosque ad explorationem hujus accidentis convocant, inde ipsi magis anguntur, & ob alterationem vel magis incalescunt vel magis refrigescunt: præterea ejusmodi valetudinarii *speculum* consulunt, hinc mox facies & oculi *pallent*, mox oculi sunt turbidi & concavi & *ex imaginatione* aliquoties *faciem mutant*, indeque in sua persuasione confirmantur: & quo *sæpius* in *speculum* inspiciunt, eo tenacius ægrotant & de tale morbosa facie perquam anxii atque solliciti sunt: hinc alios invehunt man wolle es ihnen nicht gläuben, daß sie kranck wären, und doch sehe man es ihnen an der Farb an: & si alias ejusmodi homines naturali & vivido colore in facie præditi sunt, tunc facile contingit, ut, si alius ex joco ipsos interrogat, an aliquam morbidam affli-

afflictionem patiantur & experiantur, subito ipsi assentiant, faciem mutent, & morbum sentire opinentur: alii *urinam* quam emittunt, inspiciunt & ex illa varia morborum signa colligunt, quibus cum suam imaginationem sustentant, & *ex levi* urinæ alteratione *pessimas* consecutiones metuunt & præsagiunt: nonnulli sæpe *manus* suas intuentur & in iisdem aliqualem *pallorem* & *contabescentiam* sibi imaginantur, sicuti etiam facile evenit, ut ob hanc persvasionem & imaginationem *corpus contrahatur* & per consequens etiam *impallescat* contabescat atque refrigescat: interdum quidam horum valetudinariorum ad *alteratum salivæ saporem* attendunt & ex eodem imaginationem suam nutriunt, *morbosamque* dispositionem adjuvant & exacerbant.

§. VIII.

In hac historica valetudinariorum imaginariorum explicatione brevibus adhuc triplicem illam in præcedentibus annotatam circumstantiam ad præsentem considerationem spectantem allegare placet: *primo* quod per *imaginationem varia morborum schemata* convocentur: *secundo* quod per eandem imaginationem *plurimi* morbi *exacerbentur* & deteriorentur: *tertio* quod per imaginationem plane *mors acceleretur* & promoveatur: alia vero occasione deo adsistente Curationes imaginarias proprio themate atque proposito commendare lubet: quod itaque *primam* circumstantiam attinet, tunc ipsa experientia testatur, quam sæpe *diversæ* morborum *species* per imaginationem generentur, uti observatores passim commemorant: constant exempla *palpitationis cordis* ex repræsentatione, imaginatione aut præfiguratione *terribilium* objectorum genitæ: nonnulli homines sensibiles *nauseam* & *vomitus* experiuntur, quoties de objectis *sordidis* & palatui *adversis* cogitant: quot non testimonia prostant *Lipothymiæ* ex conspectu *sanguinis*, & apparatus ad *V. Snem* pertinentis, ortæ: ita seorsim in *A. N. C. dec. 3. an. 3. obs. 35. Syncopes ex imaginatione* recensetur: *Malebranche Lib. 2. de inquirenda veritate c. 7.* enarrat historiam *doloris imaginarii* in pede in aliquo homi-

mine orti, qui conſpexit, quomodo alteri cuidam V. Sio in pede applicata fuit: parallelus caſus eſt de *dolore brachii* imaginario in *A. N. C. dec. 3. an. 9. & 10. obſ. 202.* ſic recenſetur *dec. 1. an. 2. obſ. 16.* dolor imaginarius *digitorum pedis* in pede abſciſſo, qualem caſum etiam proferunt *Carteſius Princip. Philoſ. Part. 4. & Craanem in tr. de Homine.* ita abunde in experientia comprobatum eſt, quomodo *verrucæ* interdum excreſcant in homine, qui alterius verrucoſam manum attigit: quid imaginatio ad conciliandam *peſtem* & acquirendos morbos *malignos* contribuat, plurimi practicorum indicant: *Diemerbræck de peſte; conf. Voglerus de vi imaginationis de producendam peſtilentiam; Pechlinus Lib. 3. obſ. 16. Lentilius in Miſcell. Med. Pract. Part. I. p. 130. Febris malignæ ex mera imaginatione præludia: Helmontius in tumulo peſtis:* præterea *Febris ex imaginatione* allegatur in *A. N. C. dec. 1. an. 2. obſ. 165.; imaginariam molam Tulpius* recenſet *Lib. 1. cap. 19. Imaginatione impotentes* deſcribit *Salmulthus Cent. 2. obſ. 78. Tumor imaginarius* ex conſpectu tumoris in alia femina aperti natus commemoratur *A. N. C. dec. 2. an. 10. obſ. 109.* ita conſtat *D. D. Præſidi* caſus de *Hemorrhagia narium*, toties repetente, quoties illud ſubjectum ſanguinem conſpexit: ſic *Epilepſiæ* ex *imprecatione* & *terrore* ortæ imaginationem pro fundamento habent: huc pertinent illi caſus de *Purgatione per imaginationem* generata in *A. N. C. dec. 1. an. 7. obſ. 238. purgatio ex imaginatione dec. 1. an. 4. obſ. 160. an. 10. p. 137.* & *in app.* hujus anni *p. 401.*: de *purgatione ex purgantis mentione orta dec. 1. an. 3. obſ. 152. Purgatio ex conſpectu purgantis* allegatur à *Salmutho Cent. 3. obſ. 14. Bartholino Act. Haffn. Vol. 5. obſ. 49. in A. N. C. Cent. I. & II. obſ. 129.: Purgatio ex conſpectu antimonii* recenſetur à *Bartholino Hiſtor. anatom. Cent. 5. hiſt. 64.: purgationem ex odore pharmaci purgantis, Salmuthus Cent. 3. obſ. 8.* enarrat, qui poſterior caſus *ex parte* etiam *imaginationis* efficaciæ adſcribi poteſt; *conf. Lentilius l. c. p. 56. de colica & ventris inflatione ex imaginatione nauſeoſa;* neque placet pluribus ejusmodi caſibus allegandis inhærere, quales ſparſim apud *Foreſtum, Solenandrum, Zacutum Luſitanum* &

Raym.

Raym. Ioh. à Fortis occurrunt: ita obſervatio medica multiplices tales caſus ſubminiſtrat, qui *concurſum imaginationis* ad cauſandos diverſos morbos teſtantur: hinc plurimi *ſtupendam* imaginationis vim admirantur: uti in *motuum* alteratione imaginatio illa admodum efficax eſt, hinc *facilius* tales morbi per eandem *producuntur*, qui motuum immutatione & extraordinaria exercitatione nituntur; e quibus caſibus ille præcipue notatu dignus eſt, quando *vehementiſſimis* motibus corpus *convellitur*, ex *imprecatione* epilepſiæ, quæ deinde cum inquieta & tenaci *imaginatione* agitata fuit, donec talis epilepticus inſultus conſecutus eſt: ita *D. D. Præſidi* conſtant exempla quorundam ſtudioſorum, qui ex nuda curioſitate olim nonnullorum hominum agitationes quaſi *ecſtaticas* aſpexerunt, inde vero mente & imaginatione adeo inquieti redditi fuerunt, ut & ipſi initia ſimilis agitationis experti ſint: accidit itaque interdum *citra faſcini* culpam, ut ob firmam & *immoderatam imaginationem* ſenſibilium ſubjectorum tales morbi oriantur, qui a credulis & *ſuperſtitioſis* hominibus facile *incantamentis* adſcribuntur: interim hæc animadverſio non *in abuſum* extendenda eſt, uti illi faciunt, qui ad *Paracelſi* & *Helmontii* traditionem *tales* effectus imaginationi adſcribunt, quales ſupra omnem *rationem*, *fidem* & *poteſtatem* humanam ſunt; in quo *abuſu* illi imprimis hærent, qui *ſupranaturales* vires & effectus audacter negant, & hac temeraria abnegatione admirandam ſapientiam æmulantur; neque oblivioni tradenda eſt obſervatio, quomodo *variolæ* ſubito provocatæ ſint ob conſpectum aliorum ſubjectorum, quæ variolis laborarunt, *vid. Pechlinus Lib. 3. obſ. 23. Stahlii diſp. de Variolis & Morbill. A. N. C. dec. 2. an. 4. obſ. 29.* an vero *conceptio* & *imprægnatio* ex imaginatione fieri poſſit, ventilavit *Bartholinus Cent. 6. hiſt. 61. conf. Rejeſius qu. 41. & 45. Campi Elyſ. juc. quæſt.* quantæ energiæ ſit imaginatio in *hydrophobis conf. Rejeſius Camp. Elyſ. juc. qu. 62.*

§. IX.

Altera nunc brevibus etiam attingenda eſt circum-

ſtantia, quomodo videlicet *morbi* jam *præſentes* ac completi per imaginationem *exacerbentur* & *deteriorentur*: haud vero diffidimus & diffitemur, quin attenti practici hanc obſervationem multis exemplis roborare & confirmare queant, ut propterea impræſentiarum ſuffecerit ipſam rem ſive factum attigiſſe: ſciendum tamen inſuper eſt, quod, ſicut *omnes* morbi per *animi pathemata* valde *irritantur*, ita etiam *imaginatio* in *plurimos* eximiam ſuam efficaciam exſere requeat, ſoleatque: quid imaginatio valeat ad *augendos dolores*, docet quotidiana obſervatio: ita *D. D. Præſidi* cognitus eſt vir hujus loci, qui ante triennium dolorifica Paronychia laboravit: hic firmo & compoſito animo ſecum conſtituit, ne multum urgentibus doloribus intentus & attentus ſit, ſed quo firmiter cogitet, dolores *non ſuum* ſed *alterius* corpus attingere & concernere: inde etiam contigiſſe, ut hunc affectum cum optimo moderamine atque lenitate ſuperaverit: quo *intenſius* itaque atque *impatientius* animus indolores percipiendos defixus eſt, eo fortius iidem *increbeſcunt* & inſiſtunt: hinc *Aldrovandus de Inſect. Lib. X. fol. 621.* de *podagricis* & *iſchiadicis* dicit, quod ipſorum dolores *demulceantur*, ſi per cantus jucundos aut muſicam illorum animus a doloribus avertitur: inde etiam innotuerunt illæ formulæ loquendi: Wann einen Patienten gute Freunde beſuchen, ſo fühleten ſie ihre Kranckheit nicht ſo ſehr: viciſſim vero evenit, ut in ſuperioribus indicatum fuit, ut ægrotantes ſenſibiles ſoli relicti, toto animo in afflictionem ſuam *directi* & *intenti* ſint, eandemque magis magisque exaſperent: reminiſcimur hac occaſione illius caſus, qui *D. D. Præſidi* contigit in patiente Hectica ex tuſſi & ulcere ventriculi decumbente, hic aliquando mitius ſuam tuſſim patiebatur, quando vero de ſtatu tuſſis interrogabatur, ex eo tempore ſuæ tuſſis memor factus, vehementer tuſſire inchoabat, licet per plures horas antea nulla tuſſis eundem vexaverit: quales multiplices hiſtoriæ, ſi tempus & propoſitum concederet, recenſeri poſſent: allegantur tamen ſimiles obſervationes in *Illuſtris Stahlii Pathologia* & *Diſp. de teneris ægris*: *conferatur Bartholinus Act. Haffn. Vol. 5. obſ.* 50.

50. de vi imaginationis in procurandis morbis: neque denique ultima circumstantia multo testimonio indiget, quomodo videlicet *mors per imaginationem* provocata sit, ubi talem observationem allegant *Henricus ab Heer observ. med. 6. Kerckringius spicil. anatom. obs. 41. A. N. C. dec. 1. an. 2. obs. 137. & in app. p. 401. dec. 2. an. 3. obs. 81. Caspar. Rejes. l. c. & qu. 50. no. 22.* subinde non raro experiri licet, quid damni afferat, si subito ægrotantibus *funesti* morborum eventus prædicantur, ob quam *anxiam* & terribilem imaginationem repente sæpe morborum successus *deteriorari* conspiciuntur: quare artificum erroribus annumerari debet, si cum aliqua *austeritate* mox ægrotantibus mortem indicant: hinc *Valeriola lib. 6. enarrat 6.* dicit: *prudentis medici, quæ ægro metum allatura putarit, simulatione tegere, si lethalia signa, si decretoria mala, si infelicem morbi exitum prospexerit, ea non prodere, ab his enim si perspecta ægro sint & cognita, difficilem tolerantiam, diffidentiam, desperationemque sequi solere:* quæ admonitio sub certa interpretatione & limitatione commendari potest: etenim cum multi homines mortem valde *expavescant*, ita evenit, ut ob metum mortis vires langueſcant & causa morbifica citius & efficacius noxam suam corpori communicet: exinde etiam ratio & observatio fluit, quod & quomodo homines animi *mollioris & sensibilioris*, quales sanguinei vulgo esse solent, si in *arduos* morbos incidunt, facilius in iisdem succumbant & *per imaginationem* interdum *moriantur:* inde vicissim est, cur ex parte homines *durioris* animi neque mortem admodum metuentes, facilius *pericula evadant:* loquimur vero de *naturali* statu.

§. X.

Posteaquam hactenus præcipuos illos respectus, qui ad historicam præsentis thematis tractationem pertinent, pervolvimus, ita nunc placet nonnullas circumstantias & considerationes addere, quæ ad *Prognosticam* ejusdem thematis evolutionem spectant: ubi in genere notandum, quod omnes morbi, qui *ex animo* primam *originem* sumunt, valde *intrica-*

ti,

ti, *refractarii* & contumaces existant, hinc illi morbi, qui per *imaginationem* generantur præ multis aliis & *gravitate* & *durarabilitate* eximiam *prærogativam* habent; quo *sæpius* hæc imaginatio morbifica *repetitur*, eo magis non modo *præsens* morbus *obfirmatur*, sed & eo facilius in sua specie *corrumpitur* & confunditur: maxime quidem tales imaginationes inserviunt ad evidentes morborum *corruptiones* & omninosas eorundem *metastases*, nec non ad suspectas *complicationes* & *multiplicationes* illorum & diversas alias pernicioſas *conversiones* & perversiones: præterea hæc imaginatio morbifica *præjudicioſam* illam *sensibilitatem*, qua morbi sustentantur, augmentantur & deteriorantur, promovet, confirmat & auget: quo magis præceps & cum tenaci *impatientia* talis imaginatio complicata est, eo *deteriores* inde oriuntur effectus morboſi: quando tales imaginationes sese conjungunt cum affectibus ita dictis *incurabilibus*, velut hectica, phthisi &c. eo magis periculoſos & *funoſtos* effectus *accelerant*: & quemadmodum alias talia subjecta ægrotantia eximie *sensibilia* sunt, ita hæc imaginatio præsentem gravitatem morbi eo efficacius in *deteriorem* statum conjicere adjuvat: non parum hæc imaginatio morbifica disponit ad diversorum morborum *retrocesſiones* in *interiores* & *nobiliores* regiones, hinc interdum *podagra*, *petechiæ*, *purpura*, *variolæ*, *morbilli* externum corpus deserunt & internum occupant: præterea hæc imaginatio *morbos* & *mortem*, metuens eo citius & efficacius *totam* reliquam œconomiam vitalem *alterat* & turbat, præcipue vero in necessarias & *salutares evacuationes* multas *anomalias* commiscet & inducit: multum porro hæc imaginatio, de qua nobis sermo est, *puerperis* præjudicioſa & nociva esse deprehenditur, quæ exinde *præcipitibus* & *periculoſis* affectibus subjiciuntur; quo magis immodica talis imaginatio cum medicamentorum *constanti ingestione* conjungitur, eo magis ejusmodi subjecta *enervantur* & ad futuras *graviores* ægrotationes disponuntur: quando cum hac imaginatione crassiora & *immoderatiora* animi pathemata conjunguntur, tunc effectus morboſus non modo *velocior*,

cior, sed & *gravior* & periculosior est: quo magis eadem imaginatio, vel *aliunde* confirmatur, vel *crassa* & inconvenienti methodo turbatur & *opprimitur*, eo certius atque citius morbosi effectus & successus metuendi sunt: aliquando plane *immoderata* hujus imaginationis continuatio consequentium *deliquiorum animi* aut etiam *deliriorum* causa evadit: quod si talis imaginatio per *hæreditatem* communicata fuerit, tunc eo minus, *naturali* concludendi & judicandi ratione ejusmodi subjectis *longævitas* promitti potest: imaginatio *plebejis* & *adultis* præjudiciis *superstitionibus* & credulitatibus superstructa, eo magis œconomiæ vitali *infensa* est, eoque tenacius eandem alterare adjuvat: imaginatio hæc morbifica *in fœminis* utplurimum *contumacior* est & magis *confusos* motus & morbos generare solet: quando cum affectu *hypochondriaco* & *splenetico*, nec non cum *animi morbis* & *sensuum vitiis* hæc imaginatio coincidit & constantius continuat, tunc tales exinde morborum status & gradus proveniunt, quos medici *ægre curare* possunt.

§. XI.

Brevibus nunc illam evolutionem & considerationem producere placet, quæ ad *Pathologicam* hujus thematis deductionem & explicationem pertinet: hinc primo loco mox indicamus, quod hæc disquisitio de *valetudinariis imaginariis* eximium *testimonium* perhibeat, quantam *potestatem* habeat *anima* rationalis ad commovendum & *alterandum corpus*: & quamvis multi multoties *obloquantur*, quod *animæ cum corpore* in œconomia vitali non adeo *commune* intercedat *commercium*, aut quod in functiones *vitales animales* & *naturales* nullum *immediatum influxum* habeat *anima*, tamen *præsens* hoc phænomenon, quia adeo *crasse* in sensus incidit, *minime negari* potest, & per hoc *quantisper* conceditur, quod anima *in certis* casibus in *corpus operetur*: quicquid vero sit, tunc hæc observatio *evidenter* testatur, quod *anima corpus* humanum *movere* possit & *soleat* & hæc ipsa etiam causa *principalis* est, a qua *motus* illi pendent quotquot ad *alterandam* œconomiam *vitalium*

functionum sub *adversa* valetudine per *imaginationem* provocata, contribuunt; exinde *demonstrare* licet, quod *anima* possit *soleatque* motum *progressivum* & *tonicum* augere & imminuere, quod possit *spasmos* concitare, *congestiones*, *inflammationes*, *febres* formare, quod diversas *species evacuationum* administrare queat, quod motus *amittere*, repetere & vario modo *alterare* valeat, quod *secretorias* & *excretorias* functiones *minuere* & *augere* possit, quod functiones *animales*, *vitales*, *naturales* & *genitales* alterare queat; *singula* enim hæc phænomena in *valetudinariis imaginariis* observantur: & quemadmodum hæ operationes & commotiones pro *diversa* applicatione non raro *in aliis* casibus *salutarem* effectum & eventum sortiuntur, ita *demonstratio* hæc facilius est, quod *anima rationalis* etiam tales operationes exerceat, quæ *non semper siniſtre* decurrunt, sed quæ *satis sæpe* cum *salute* & *euphoria* decurrunt: quamvis quidem non facile negari possit, quod *anima* in valetudine *imaginaria* generanda *activa* sit, tamen communis ille *error* ad hanc theoriam applicatur, quod anima hanc alterationem mediantibus *spiritibus* ita dictis animalibus perficiat: quæ assertio non modo *præter omnem necessitatem* & præter *solidum fundamentum* aliquid *supponit*, sed subinde *activitatem* animæ loco intentæ *perspicuitatis* longe magis *obscuram* & intricatam reddit, cum longe *citius* & *expeditius* anima *immediate corpus* suum movere possit, quam si demum *per ambages* & per spiritus illud attingere deberet: est itaque anima *causa efficiens* imaginationis, sive imaginatio est *operatio animæ*, unde etiam motus qui *proxime* imaginationem *sequuntur* & per imaginationem *concitati* sunt, non corporis, sed *animæ* sunt: ast proinde notandum est, quod *processus* & ordo hujus alterationis œconomiæ vitalis per imaginationem provocatæ, hic sit, dum anima *per imaginationem* certam corporis sui *afflictionem* observat, metuit & *aversatur*, ut & de *illius damno* atque periculo valde *sollicita* existit, *secundum* hanc imaginationem ipsa anima *proxime eosdem* motus suscipit & *exercet*, qui cum imaginationis suæ *objecto cohærent*: quo loco non multum *objectio* valet,

cur

cur anima ab hiſce motibus *non deſiſtat?* quæ propterea hoſce motus non omittit, quia *imaginationem* illam, per quam ad eosdem motus *allicitur* & invitatur, *non deſerit*, ſed *contumacius* continuat: quare imaginationes tales illam efficacem cauſam *impulſivam* conſtituunt, quam anima preſſo pede cum diverſorum *motuum alteratione* ſequitur: quo *firmius* itaque imaginatio circa morbos occupata eſt, eo *certius* & *citius* varii *morbi* ingruunt: hinc pervulgatum innotuit dicterium: wie du gläubeſt, ſo wiederfährts dir: etenim cum illi motus *vitales* & *imaginatio* ab *uno eodemque* principio dependeant, hinc *firma, immoderata* & impatiens *imaginatio* ad talium *motuum variationem* diſponit, aut *ſimplicius* rem eloquendo, anima in imaginatione circa motuum vitalium imaginationem valde occupata, denique in ipſos illos motus alterandos *præceps* ruit: uti viciſſim hi motus *vitales alterati*, multum valent ad *reciprocam* imaginationis immutationem, quæ adſertio in *deliriorum* ſchemate admodum perſpicua evadit.

§. XII.

Tanta vero eſt hujus imaginationis *energia* in *alterando* corpore, ut vix *æque facile*, ſæpe atque prompte *alia* animæ *operatio tantum* valeat, ex quo phænomeno colligere licet, *quantam prærogativam* præ reliquis animæ actionibus mentalibus habeat *imaginatio* concurrendi & *influendi in œconomiam vitalem:* deinde multis exemplis conſtat, quantum valeat *frequens, firma* & *intenta* recordatio & attentio in *certas functiones* vitales aliasque ad *œconomiam* animalem ſpectantes directa, inde evenit, ut homines, quibus alias *palpitationes cordis* familiares fuere, quando aliquando illarum *intentius* & fortius *reminiſcuntur*, tunc easdem nonnunquam ſubito experiantur: quando homines ad *certas excretiones* ſtimulantur, huncque ſtimulum cum multa animi *attentione* & intentione *proſequuntur*, tunc ipſe *eo citius* augeſcit & *immoderatius* inſiſtit: dum itaque ſub ejusmodi *tenaci, ardua*, firma & *immoderata* imaginatione ab aliis objectis ſeſe *abſtrahit*, & in talem alterationem corporis tam *anxie ruit*, ita evenit ut tunc *illos*

motus in *corpore* ſuſcipiat, aut in *concreto* illas *alterationes* exequatur, circa quas hactenus in *abſtracto* occupata fuit: quare ad ejusmodi valetudinariam imaginationem diſponit *generica animi agilitas;* cum viciſſim *torpida, tædioſa, ſomnolenta* anima ad executionem talium alterationum non tam prompta & expedita ſit: deinde multum huc contribuit *ſingularis animi ſenſibilitas*, ſubtilitas, *mollities*, mobilitas, qua homines ſubito & tenaciter ſibi quicquam præfigurant, unde dicuntur empfindliche, eigenſinnige Leute: tanto plus etiam huc confert *anxius, ſollicitus*, delicatus & *inquietus amor vitæ & ſanitatis*, unde mox œconomia vitæ & ſanitatis ſecundum *præviam* illam imaginationem *alteratur*, proxima vero *imaginationis efficacia* redundat *in motus*, illosque vel *augendos* vel *minuendos:* quemadmodum ipſa *imaginatio motus animæ* eſt, & *per illos motus* deinde conſecutive varia *alteratio* inducitur, vt *ſanguis* vel *ſubtilior* vel *craſſior* reddatur, ut *ſerum* vel *plus* vel *minus* generetur, ut copioſiores *impuritates* in corpore ob ſe & excretionum *negligentiorum* adminiſtrationem & continuationem, *coacerventur*, ut *ſub excretione* jam conſtitutæ heterogeneitates iterum ad *interiora* ducantur & cum iisdem corpus *denuo inquinetur*, ut ad certas regiones diverſi humores *congerantur* & quales multiplices aliæ fundamentales *alterationes* cum *imaginatione* cohærere ſolent; principaliſſime quidem atque proxime hæc imaginatio in *tonicum motum* operatur, mediante quo connexæ reliquæ ſpecialiores commotiones variis alterationibus ſubjiciuntur, unde ſiniſtri illi effectus in œconomia animali per imaginationem provocati, utplurimum in *motuum ordine* atque claſſe ſeſe produnt, inde oriuntur *tenſiones, tractiones, congeſtiones, inflammationes, æſtus, frigus, contracturæ, ſpaſmi, affluxus*, humorum, *conſtrictiones* locorum excretoriorum, & conjuncti *dolores* variarum ſpecierum: aliquando tamen plane contingit, ut incommoda quædam, moleſtiæ & dolores *in unda imaginatione* & recordatione cum imaginatione conjuncta hæreant, quæ falſa & *corrupta* imaginatio propterea aliqua

corre-

correctione indiget; nititur tamen hæc imaginatio in hoc posteriori casu *prægresso* tali incommodo, quod aliquando denuo *revocari* potest: & ex hisce fundamentis pathologicis facile reliqua duci possunt, quæ ad specialissimas animadversiones pertinent; nos interim in hac succincta; attamen fundamentali & luculenta consideratione & deductione pathologica acquiescemus, cum proinde in hac observatione facile *animæ commercium cum corpore* inclarescat.

§. XIII.

Ordo nos jam ducit ad *Practicam* præsentis thematis explicationem, quomodo ejusmodi subjecta & *regiminibus* & moderaminibus & *medicaminibus* securis, congruis & utilibus tractanda sint, quo *animo* æque ac *corpori* consulatur & quo *periculosæ consecutiones* præoccupentur: in hac Therapia valetudinariorum imaginariorum *duplicia* auxilia locum inveniunt, *Moralia* videlicet & *Medica*: ex utroque tamen foro tam Moralitatis, quam Medicinæ in hac necessitate interdum talia media proveniunt, quæ plus detrimenti, quam emolumenti afferre possunt; quare hoc prævio practico labore indicabimus illa conamia & tentamina, quæ in hoc casu rectius *obsunt*: nocent itaque *repentinæ*, immoderatæ, *morosæ* & simultaneæ imaginationis *suppressiones* & *reprehensiones*, quæ majorem animi *confusionem* & *inquietudinem* post se trahunt, dum *sensibiles* tales homines sibi persuadent, quod non sine præguanti ratione talem afflictionem sibi imaginentur atque ominentur: nocent viciſſim *dubiæ* hujus imaginationis *resolutiones* & *mitigationes*, dum medici neque cum valetudinariis *consentiunt*, neque ab iisdem *dissentiunt*, unde ipsi in imaginatione sua magis *confirmantur*, adeoque promptius *siniſtrum* successum hariolantur, inde fluunt illa dicteria, der Medicus hätte dazu ſtill geſchwiegen, es müſſe nicht zum beſten ſtehen, er hätte es vor ihnen verheelen wollen, hinc magis *anxii* evadunt: nocent *contumelioſæ* horum valetudinariorum derisiones & *subsannationes*, quæ non modo immoderatam talem imaginationem *irritant*, sed *alias* animi commotiones, præcipue *pathe-*

theticas convocant: unde *morboſæ* conſecutiones augentur, accumulantur, multiplicantur & præcipitantur: nocent porro *adulationes* & imaginationis in valetudinariis *confirmationes*, ſuſtentationes & aſſentatoriæ affirmationes: nocent qualescunque *immoderatæ* animi *confuſiones* & impetuoſæ diſtractiones: obſunt præterea e fonte & foro *preſſius medico* quælibet *fortiores* & copioſiores *evacuationes*, quæ *vires* repente *deſtruunt* & morborum incrementa *promovent:* abſint *negligentiores* promotiones aut actuales *perturbationes* ordinariarum & neceſſariarum evacuationum: omittantur *nimis multæ*, repititæ, immutatæ & *prodigæ medicamentorum* ingeſtiones & medendi methodorum variationes: officiunt remedia *nimis impetuoſe* operantia, *ſanguinem* valde commoventia & *vias* eximie *ſtimulantia:* fugienda maxime ſunt *narcotica*, quæ tanto majorem *corruptionem* œconomiæ animalis minantur, adeoque ad varias *confuſas* & valde *refractarias* morboſas conſecutiones diſponunt: ſeponantur *adſtringentia* & *incraſſantia*, quæ *ſe* & *excretorias* functiones admodum turbant & impediunt: nocet *indiſcretus*, *præmaturus* confuſus & promiſcuus uſus *nervinorum* remediorum, quemadmodum *copioſa* illorum oblatio nimium naturam *ſeducit*, ut præter reliquum morbidum ſtatum ipſa valde *langueat* & *torpeat:* nocent *nimis calida regimina* & *medicamina:* obeſt etiam nimis *ſcrupuloſa diæta:* multum officit nimis *ſedentaria vita*, nimis tenax lecti & decubitus continuatio, *ſolitudo* conſtans, & *ſocialitatis averſio:* nocent denique ejusmodi valetudinariis imaginariis nimis *multi medici* & copioſa *mulierc ularum conſilia*, hæ ſunt potiores cautelæ, quæ *privativam*, ad hunc caſum pertinentem *Therapiam* concernunt.

§. XIV.

Tandem ad *Poſitivam* valetudinariorum imaginariorum Therapiam nos convertimus, quæ iterum ex una parte *moralis* ex altera *medica* exiſtit: quoad *primam* præſtat ejusmodi ſubjecta cum *lenitate*, *modeſtia* & patientia tractare, illorum *afflictum* & ſollicitum animum qualibet pia & honeſta *moderatione*

tione erigere, animum ad *tranquillitatem* promovere, *damnum* imminens non nimis *exaggerare*, neque nimis *extenuare*, quin potius anxiam imaginationem cum aliis *jucundis* objectis & *amica socialitate* demulcere, signa *minus periculosa* congrue & sufficienter *explicare*, quod tale periculum quale sibi valetudinarius imaginarius persvadet, *haud metuendum* sit, interea etiam multum confert, quando ipsi omne necessarium *consilium* & *auxilium* promittitur, & sine mora aut cunctatione, si fieri potest, hæc firma imaginatio *mitigatur*, wann man ihnen solche Gedancken bald aus den Gemüth redet, ehe sie sich eingewurtzelt haben: consultius enim est malum *præoccupare*, quam expectare: multum proficit si ejusmodi subjecta, *solitudinem* nimiam *fugiunt*; hinc cum *aliis actionibus* occupati esse debent, ne *morbidæ* suæ dispositioni & afflictioni nimium *intenti* sint: proinde etiam illi, qui cum iisdem *conversantur*, *funestos* casus, imprimis *repentinas* mortes ipsis non enarrare debent: præscindantur insuper omnes occasiones ne iisdem valetudinarii ad morbifica *animi pathemata* commoveantur: dehinc *gaudium*, *spes*, jucundum *desiderium*, *tranquillitas* multum valent ad *præoccupandam* & *infringendam* talem morbificam imaginationem: & hæc similiaque alia auxilia ad *Moralem* Therapiam præsentis status pertinent: quoad *Medicam* & *pharmaceuticam* Therapiam præstat, quo in talibus subjectis necessariæ *evacuationes* conserventur & per *leniora* adminicula interdum invitentur: multum confert *bona diæta*, quam pro diversitate circumstantiarum medicus rite disponere & *ordinare* debet: subinde talibus valetudinariis per intervalla lenia *analeptica* tam *diætetica*, quam *pharmaceutica* concedenda sunt: haud tamen *nimis frequenter* medicamenta ipsis offerantur: concedantur aliquando iisdem *talia* analeptica, quæ iidem præ aliis nonnunquam *appetunt*: etenim interdum ipsis *aliquid concedendum*, indulgendum & *condonandum* est: interim in talibus valetudinariis sæpe plus *cura diætetica*, quam pharmaceutica conducit: *Nitrosa*, *coralliata* & *succinata* remedia illis sæpe mul-

multam opem afferunt, quo etiam *cinnabarina* ſpectant: *emulſiva* & *lacticinia* in diverſis caſibus perinde aliquam utilitatem hiſce valetudinariis promittunt: ſelecta, lenia & *ſecura ſedantia* in *exceſſibus* motuum ex imaginatione ortis juſto ordine oblata, æque proficua eſſe obſervantur: nunquam etiam artifex debitam *plenitudinis*, *ſanguinis* rationem & dijudicationem oblivioni tradat; etenim quo magis tales valetudinarii *abundantiam* moleſtam ſanguinis continent, eo *facilius morbidis* afflictionibus ſubjiciuntur: præſtat tamen iisdem *modicas* neque exceſſivas ſanguinis *miſſiones* ordinare: neque porro *adverſa* ipſis obtrudenda ſunt remedia: *ſelecta* & lenia *tonica* remedia ut *gemmata* & modicus uſus *Tincturæ coralliorum*, nec non *vini* congrua oblatio iisdem æque conducit: ſingula itaque talia adminicula a prudenti artifice ad *ſpeciales* caſus erunt applicanda: nos in hiſce fundamentalibus explicationibus acquieſcimus & ſubſiſtimus: De reliquo divinæ clementiæ pro conceſſis viribus ad præſentis thematis explicationem devotiſſimas grates perſolvimus, eidemque hunc laborem conſecramus atque precamur, quo illum ad ſalutarem quem intendimus ſcopum, efficaciſſime dirigat.